

RECTOR  
ACADEMIÆ LIPSIENSIS

ad

*exequias*

Adolescentis

*Generis splendore, moribus ac literis ornatisimi*

HEINRICI VOLCKMARI,

Opt. art. & lit. Studiosi

*Cives Academicos*

post. III. pom.

Invitat.

Biogr. erud.  
1689, n



V. 77 - 1689 - Vol. 16 - 14

**ΙΑΜΑΙΟΥ ΙΔΙΑΙΤΗΣ**

McGraw-Hill Book Company

mod JH. fccq

卷之三



nter promissa divina Patri credentium facta non ultimum erat, qvòd Pater multorum populorum futurus esset. Qvorsum respiciens Deus ter Opt. ter Max. nomen ipsi mutavit, ut, cùm ABRAHAM Pater excelsus prius diceretur, inserto ex הַמִּן i. e. multitudine literā **A** ABRAHAM i. e. Pater multitudinis deinceps appellaretur. Duplicis verò populi suis ex lumbis egressuri respectu pulverem terræ ac stellas Cœli Deus benignissimus ABRAHAMUM numerare jusfit. De terræ pulvrisculis, qvòd numero certo à nobis comprehendi nequeant, res in aprico est, de stellis cùm 1002. ab Astronomis numerentur, subdubitare non nemo posset. Verum de insignioribus tantum hoc est intelligendum, cùm præter easdem informes multæ, sed tamen à Recentioribus in formam certorum Asterismorum redactæ, dentur: à navigantibus etiam versus Polum Ant- arcticum & telescopio Galilæi qvām plures veteribus incognitæ fuerint detectæ, imò galaxiam nihil aliud esse, quām stellarum qvoddam mare, propter nimiam distantiam confusum qvoddam & albicans lumen repræsentans, ad oculum sic ostensum. Inter alia VOLGKMARIAE gentis beneficia divinitus concessa non ultimum fuit, qvòd nominis omen adepta & alibi, & intra seculi spaciū (centesimus enim jam annus est,

cum primus in hac urbe gentis suæ conditor, consulari dignitate conspicuus Dn. NICOLAUS VOLCKMAR diem suum obierit) hic Lipsiae, præsertim in alienas translata familias longè latèq; sese diffunderet, sed, ut sunt rerum humanarum vicissitudines, *σύλοι τῶν οἰκανῶν* paterni nominis hærcdes ita numero decreverunt, ut pulvere terreno exenti cœlo maximam partem fuerint transcripti. Duodeviginti præterfluxerunt anni, cum Vir Nobilissimus Amplissimus & Consultissimus Dn. HEINRICUS VOLCKMAR magni nominis Juris Consultus, Dicasterii provincialis supremi Advocatus Ordinarius, Confidoni & Scabinatus Electoralis Assessor, nec non Reip. patriæ Pro Consul meritissimus in fata concederet, quem filius ejusdem nominis unicus Vir itidem Nobilissimus & Consultissimus, J. U. Doctor nominatisimus, Facultatis Juridicæ Assessor & Antecessor laudatissimus<sup>2</sup> ante quinquennium viam omnis carnis ingrediendo secutus filium iterum unicum cognominem adolescētem inspem & decus ævi natum & educatum HEINRICUM VOLCKMARUM, optim. art. studiosum per beatam analysin ex Syrtibus mundanis abreptum post se traxit. Cœlo, quam terris digniora fuerunt hæc nomina, quæ, famâ posthumâ radios spargente, int̄ vivos etiamnum fulgentes gratam sui recordationem in animis nostris refricant, maxime, cum prædicto adolescenti optimo, literis & moribus Ornatisimo HEINRICO juventutis flori fragrantissimo supremum pietatis & humanitatis officium sit persolvendum. Lucem is adspexit hic Lipsiae anno currentis seculi 50. pridie Id. Apr. Parentibus jam dictis honoratissimis, & quidem retrò vestigia legendo Patri Nobilissimo & Consultissimo Viro Dn. HEINRICO VOLCKMARO, J. U. Doctori & Professori Publ. cele-

celebratissimo, Avo Praeclarissimo Dn. D. HEINRICO  
VOLCKMARO ProConsulari Viro, Proavo prudentissi-  
mo Dn. GREGORIO VOLCKMARO, ex ordine Senatorio  
hic Lipsiae non postremo, Atavo Viro Amplissimo Dn.  
NICOLAO VOLCKMARO, Reip. Lipsiensis Consuli meri-  
tissimo, Matri Fœminarum selectissimarum amusitatæ  
normæ & unioni preciosissimo MARGARITÆ, Viri mul-  
to rerum usu spectatissimi & prudentissimi, Dn. GODO-  
FREDI GROSSII, Senatoris & Bibliopolæ famigeratissimi  
filiæ natales debens. Postquam per sacrum lustricum  
Christianus & Ecclesiæ civis factus fuisset, id operam  
dederunt Parentes optimi, ut cum lacte materno pietatis  
& literarum initia imbiberet. Qvia verò Parens uterq;  
antequam decimum ætatis annum ὁ μακάρεστνς no-  
ster attingeret, ad æternitatem viam ipsi præiverant, e-  
ducationis moles in humeros Aviæ paternæ, Matrona-  
rum luminis exemplaris, ANNÆ SALOMES, Viri Nobi-  
lisissimi & Præcellentissimi Dn. LUDOVICI MOSERI in  
Gama/Serenissimis Sax. Ducibus & Electoribus CHRI-  
STIANO II. & JOHANNI GEORGIO I. glor. recordationis  
à consiliis & secretis &c. meritissimi Filiæ tota recidit,  
Omnem hæc volvit lapidem, omnem versavit cuneum,  
ut vestigiis paternis & avitis gnaviter insistens ὁ ἐψ  
θεογύια noster non tantum ad idem honorum fasti-  
gium confunderet, sed & altius eriteret, ac novam  
lucem in familiam Amplissimam inferret. Qvare Viro-  
Juveni Clarissimo & Per Eximio Dn. M. ANTONIO GÜN-  
THERO HESCHUSIO, Philos. Fac. Assessori &c. bonis literis  
& artibus perpoliendum credidit, sub cuius manudu-  
ctione fidelissima tantum etiam profecit, in lingua præ-  
cipue latina, ut bonos Autores in succum & sangvinem

convertere, nec nō oratione solutā & ligatā studiis suis  
hederam p̄æfigere posset. In Geographicis etiam, al-  
tero historici & politici studii oculo, ad metam p̄æfi-  
xam collineans, nec absq; singulari fructu & cognato-  
rum admiratione progressus laudabiles fecit. In studio  
itaq; & stadio literarum decenter currens officium, qvo  
D̄eo suo adstringebatur, insuper non habuit, sed in le-  
ctione aō meditatione Verbi divini totus concionibus  
& precibus publicis ἀπεῖξ adhæsit, mysteriorum di-  
vinorum usu fidem vacillantem cum suis quotannis  
aliquoties roboravit, orationibus devotis indefinenter  
vacavit, reverentiā, qvā decet & par est, Parentibus, &  
post eorum obitum & ex his fecibus mundanis abitum  
Aviæ carissimæ assurrexit, morem iisdem gessit, &, ne  
verbulum indecens sibi excideret, summo studio, cavit,  
per quotidianam ἀνατύχεωσι congenitos virtutum  
igniculos excitavit, verbis potius, qvām verberibus ad  
optima quævis se duci passus, cum quibusvis facilis  
condescendit, cum sororibus sororio pacis & concordiae  
vinculo constrictus amicissimè vixit, paucis, in spem  
p̄æclaram, sore, ut in virum Egregium aliquando eva-  
dat, suos erexit. Nec spes defloruisset, nisi terreno  
pulveri stellam hanc elegantissimam mors præmatura  
invidisset. Clinicus factus est ipsis Nonis currentis  
mensis Julii de æstu p̄æcordiorum & corporis totius  
lasitudine conquerendo. Die subseqvente statim va-  
riolæ confertim erumpere cœperunt, quæ primis qvi-  
dem diebus diris cundem symptomatibus affixerunt:  
verūm Dei gratia & Medicorum providentia hæc statim  
sublata, & ita, ebullitione cessante, apparete quoq; vario-  
larum suppuratione spes reconvalescentiæ satis ampla  
circum-

circumstantibus, ipsiq; ægroto fuit suborta. Sed, proh  
dolor! cùm nocte, qvæ mortem ipsius antecesit, plus  
justo inquietior redderetur, reliqviæ malignitatis ab ex-  
terioribus ad interiora repressæ vitæ filum abruperunt.

Sentiens itaq; ο μάκαριτης, ad beatam analysin jam  
tendere omnia, precibus ardentissimis se Salvatori suo  
commisit, qvas inter, à circumstantibus telâ pertextâ,  
hebdomadis proximæ feria septima, decimâ septimâ  
scil. Calend. Sextilis circa octavam antemeridianam,  
postqvam annos vitæ suæ quatuordecim, trimestre cum  
triduo numerasset, beatam animulam in manus illius,  
à quo accepit, exhalavit. • Qvod stellis fixis multoties  
usu venit, ut Solis ad instar à subtus vœctis aliis inferio-  
ribus, sine ulla tamen lucis suæ jactura, nobis occul-  
tentur: idem in hac quoque stellula Clarissima fieri  
videmus. Sed, ut parvi temporis interjectâ mora, ex  
altera sui parte rursus emergunt, & hæc inferiora luce  
gratissimâ iterum perfundunt: Ita & beatissimus no-  
ster VOLCKMARUS, post brevisimi temporis intercape-  
dinem, in die jamjam futuro pantocritico, corpore  
δοξασικῷ πνευματικῷ ex mortis tenebris emerget,  
& suis non sine lætitia ineffabili pulchior restituetur.

Relinquentes itaq; Gentilibus suum istud;

Soles occidere & redire possunt,

Nobis cum semel occidit brevis lux

Nox est perpetua una dormienda &c.

Spe lætæ resurrectionis corpusculum nobis relicturn  
apud communem matrem post auditam tertiam pome-  
ridianam deponemus, nostros, ut, fragilitatis humanæ  
memores & in solarium honoratissimæ familiæ, freqven-  
tes Nobiscum in funus procedant, his iplis judantes.

P. P. XII. Cal. Sext. anno M DC LXIV.

